



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. 5. De autoritate, & consensu superioris in alienatione rerum Ecclesiæ secularis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

*mutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, & meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atq; consensu id eligat, quòd non sit dubium profuturum Ecclesie.* Et infra: Episcopus rebus Ecclesie, tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur; irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiastica erit absque continentia, (rectius conniventia.) & subscriptione Clericorum. & c. Tua. 8. De his, quæ a Prælat. ibi: Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiastica erit, absq; conniventia, & subscriptione Clericorum; per hoc enim novis solutam secundo loco propositam quaestionem, cum concessionibus Ecclesiarum perpetuas ad alienationes non sit dubium pertinere.

1201 Not. autem 1. hoc procedere de jure communi in alienatione proprie dicta, & casibus, jure expressis, videlicet, donatione, venditione, & permutatione; Sic Molina cit. n. 7. Not. 2. ex Abbate in c. 2. h. t. n. 4. in pluribus locis non observari, ut *scriptio* fiat in alienationibus rerum Ecclesiasticarum; imò sufficere, ex consuetudine, ut fiat manu Notarii; Sic etiam Pirhing h. t. n. 31. Not. 3. in instrumento confecto manu Notarii non requiri *expressionem omnium Capitularium*; Sed sufficere, si testetur *de unanimi*, vel etiam *majoris partis consensu dato* in alienationem; Sic Abbas in c. Quarto. 5. de his, quæ fiunt à Prælato. Quod ipsum præsumitur, licet in instrumento simpliciter dicatur, *Capitulum consensisse*. Sic Pirhing de rebus Ecclesie non alien. n. 32. §. not. 2. Not. 4. quòd, qui nomina absentium Capitularium in Instrumento subscribi finit, ac si præsentessent, & tanquam præsentessent consensum dederint, de crimine falsi teneatur, & argui possit. L. 13. C. ad Legem Cornel. de falsi. Et talia instrumenta sunt irrita; & faciens sic inscribi, tanquam falsarius puniri potest. c. Quanto. cit. in fin. junct. gloss. V. *absentium*. Not. 5. Si Notarius non sit adhibitus, debere confici instrumentum alienationis sic, ut loco subscriptionis sigillum Capituli apponatur; quia qui sigillum instrumento apponit, videtur illud ratum habere. Gloss. in L. 2. C. de rebus alienand. V. *Conquisita*.

§. 5.

*De auctoritate, & consensu superioris in alienatione rerum Ecclesie secularis?*

Dupliciter in alienatione rei Ecclesiastica potest superior suam auctoritatem interponere. 1. si ipse, ut causa principalis faciat alienationem de consensu Capituli; 2. Si non ipse, sed alius inferior, v. g. Conventus, Rector Ecclesie, alienet de consensu Superioris v. g. Episcopi expresso, ut dicitur 12. q. 2. c. *Abbatibus* 41. ibi: Abbatibus, Presbyteris, cæterisque Ministris, de rebus Ecclesiasticis, vel Sacro Ministerio alienare, vel obligare, absq; *permissu, & subscriptione Episcopi sui* nihil liceat; quòd, qui præsumpserit, degradetur communione concessa, & quòd temerè præsumptum, aut alienatum est, ordinatione Episcopi revocetur.

Not. autem 1. consensum, qui in minoribus, seu inferioribus absolute consensu dicitur; in eo, qui ex officio publico præest, vel legitimam administrationem habet, auctoritatem appellari. Gloss. in c. 1. h. t. in 6. V. *Tractatus*. Nam *consensus*, est etiam Minorum; auctoritas, tantum Majorum, seu superiorum. Sic Innocent. ibidem n. 3.

Not. 2. auctoritatem superioris esse de substantia alienationis, quando illam præstat, ut causa principalis, seu ut dictum est primo modo; consequenter actum sine illa celebratum, etiam jure naturali in principio invalidum esse, quia sic deesset consensus unius ex contrahentibus. Quando autem posteriori modo requiritur, non est de substantia actus; sed tantum de solennitate extrinsecâ; quia tali casu, etiam sine illo, alienatio jure saltem naturali valet; & si ex intervallo intervenit, actus convalescit, ut etiam jure positivo valeat, prout in simili dictum est superius. Not. autem etiam in hoc casu, superioris consensum, expressum esse debere, cit. c. *Abbatibus*. 12. q. 2.

Not. 3. Præter auctoritatem Episcopi requiri etiam consensum Capituli Cathedralis in alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam secularem, Cathedrali inferiori,

rem, Episcopo subjectam, & Conventu carentem. Arg. Clem. 2. h. t. intellige, si alienationis auctor sit ipse Episcopus; si autem ejus auctor sit alius, Episcopo inferior, sufficit autoritas Episcopi sine consensu Capituli cathedralis, modo ad sit consensus Capituli ejus Ecclesie, si Collegiata sit, cujus est res alienanda; licet adhibere Episcopus eo casu debeat consilium Capituli Cathedralis; Sic Pirhing h. t. n. 45. ubi addit, quando inferior alienat rem Ecclesie carentis conventu (v. g. Rector Ecclesie non Collegiata) sufficere autoritatem solius superioris.

§. 6.

De autoritate, & Consensu Superioris in alienatione rerum Ecclesie regularis.

1205 **S**upp. 1. autoritatem prestare in alienationibus rerum Ecclesiasticarum esse actum ipsis Episcopis reservatum, sive jurisdictionis Episcopalis; per c. *Abbatibus*. 12. q. 2. c. *Inventionibus*. 17. q. 4. hinc iis tantum competit, qui Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habent in Ecclesias sibi subjectas, sive sint Regulares, sive Seculares.

Supp. 2. ex Regularibus, quosdam exemptos, quosdam non exemptos a jurisdictione Ordinariorum; & Episcopum respectu *non exemptorum* censei superiorem, cujus autoritas intervenire debet in alienatione rerum, quas facit superior Regularis non exemptus.

Supp. 3. Superiorem Prælati Regularis exempti, & immediatè subjecti Papæ, censei ipsum Papam, cujus autoritas intervenire debet in alienatione, quam facit ejusmodi superior exemptus; excipe, nisi habeat sui Ordinis Generalem. Nam eo casu ipse Generalis, vel ex illius concessione Provincialis, loco Episcopi esse censetur. Hinc ipsius autoritas interveniens sufficit alienationi factæ à tali superiore regulari exempto; ita Suarez. tom. 4. de Relig. l. 2. c. 27. n. 13. his præmissis:

1206 **R.** In alienatione rei Ecclesiasticæ, facta à Prælato Regulari *non exempto*; requiri autoritatem Episcopi; nisi ipse Prælatus in Ecclesiam, cujus est res alie-

Tom. III.

nanda, habeat jurisdictionem quasi Episcopalem; sic Francus in c. 1. h. t. in 6. n. 23. Not. autem jure novo per Constitutionem Urbani VIII. editam 7. Septembr. 1624. (quam refert Tannerus tom. 3. D. 4. de Just. q. 7. D. 7. n. 193.) prohiberi Regularibus omnem alienationis speciem, tam immobilium, quam mobilium pretiosorum, adeoque omne pactum, quo eorum dominium transfertur, censum perpetuum, seu vitalitium, hypothecas, locationes, conductiones, infeudationes, & emphytheusim, nisi in casibus à jure permisis, sine expressa licentia sacre Congregationis Concilii Tridentini in scriptis allegata, & gratis concedenda, sub poena privationis omnium officiorum, quæ tempore alienationis obtinebant; vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, quam ipso facto incurrerent: existimo tamen per hoc non derogari privilegiis eorum Regularium, vi quorum eis sufficiat autoritas sui Generalis, aut ab eo delegati.

Hinc in quæstione de alienationibus, quæ sunt à Regularibus, (an indigeant, præter sui superioris licentiam, autoritate, ac consensu Episcopi?) consideranda sunt specialia ipsorum jura, quæ illorum Ordini, de gratia sedis Apostolicæ, & summorum Pontificum gratiosè indulta sunt; & secundum ea, in quæstionibus circa rerum Ecclesiasticarum alienationes respondendum; De quo etiam V. in sequentibus.

1207 **Not.** autem 1. quando dicimus, Regulares *non exemptos*, in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, indigere consensu Ordinarii sui, cui subjecti sunt, intelligi de alienationibus rerum Ecclesie, quæ non sunt pleno jure subjectæ Regularibus. Nam in his, quæ ipsis pleno jure subjectæ sunt (nimirum privativè ad Episcopum, vel Ordinarium) hujus consensu non indigent. Nec obstat, quod prestare autoritatem, seu consensum in ejusmodi alienationem, quæ sit à Regularibus, Episcopo subditis, sit juris Episcopalis. Concedo enim id procedere, ubi tales Regularium superiores ipsi non gaudent jurisdictione, *quasi Episcopalis* in Eccle-

N 2

fuis,